

ne dicendi, sine incunabulis philosophiæ naturalis ac moralis, Quorum cognitio, non solum quia per liberalis est olim tradebatur communiter omnibus, priusquam admitterentur ad superiores disciplinas, Sed etiam quia iudicium acuit, & præparat ad res maiores percipiendas. Modo autem satis est afferre ad illas disciplinas grauissimas, magnum pileum & insignem contemptum omnis doctrinæ humanioris.

Hanc temeritatem nisi leges ac magistratus cohercebunt, breui nullæ erunt in rep. literæ, nulla doctrina ullius rei. Nam isti Theologi, iurisperiti ac Medici subito nascentes, nulla præditi liberali doctrina, non solum alias artes interire sinent, sed nec suas professiones tueri poterunt, Nec nihil pertinet hæc cura conseruandarum literarum ad magistratus. Ideo enim appellantur *Dij a Spiritu Sancto*, ut diuina dona in terris, religionem, ciuilem statum & omnes honestas artes tueantur ac retineant. Propter hanc procuracionem diuinarum rerum gerunt augustum titulum, quo nullum habet magistratus ornamentum maius aut uenerabilius.

Quare conuenit eos prospicere, ne perturbato discendi ordine, honestæ discipline intercidant. Plato inquit *Respub.* mutari si contingat musicam mutari, Neq; id abs re dictum est, Sed hoc multo

A P

uerius